

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 76 (Neovidensis 1806. Nro. 68.)

---

*Ex Campis Elysiis*  
*Dissertatio Politica.*

De Systemate Feudali.

---

Klystum --Meum. -- Die Martis 9. Septemb. 1806 (Neov. 26. Aug)

---

#### Sententia:

Quam late patentem aperit nobis campum systema feudale! Antiqua quercus se erigit; oculus e longinquo intuetur ejus folia; venit propius, conspicitur ejus stipes, at non radices; ad eas inveniendas effodienda est terra.

---

*Montesq. tom. 3.*

**M**axima pars Europae pro fundamento sui regiminis adoptavit systema feudale; Turcae illud repudiantes, inter omnes Europae populos quam maxime distant a cultura morum, et humanitate. Novo rerum ordine introducto hoc systema etiam Gallia rejecit, et ex omnibus occupatis provinciis profligavit. Operae itaque pretium est inquirere in quonam re ipsa consistat systema feudale, et unde ejus origo ad nos devenerit.



Montesquieu; et alii politici scriptores definiunt feudum esse tractum terrae, qui alicui fideli cum specialibus privilegiis donatur. Jam temporibus Caroli Magni, et Lotharii I. erant ejusmodi praedia, quae peculiaribus instructa privilegiis ad haeredes transibant.

Feuda originem habent ab irruptione populorum Septemtrionalium, qui occidentem Europae, et Orientem inundarunt. Fatale hoc factum, quod orbem terrarum obruit, sed forte nunquam amplius eventurum est, nemo ignorat; Lubet recensere incursiones populorum septemtrionalium, quos sub nomine Gothorum, Visigothorum, Ostrogothorum, Vandalorum etc. noscimus. Barbarae hae gentes, quarum et idioma, et mores devictis provinciis peregrini erant, sunt veteres Teuthones, quorum mores et Caesar, et Tacitus tam egregie descripserunt. Suam etenim universalem dominationem propagantibus Romanis, advolarunt hi populi ex Scandinavia (*Suecia*) a polo arctico, progressaque sunt ulterius in calidius clima, et ut primum Roma labascere coepit, impune se diffuderunt Austrum versus, prima eorum de Romanis relata victoria erat primum signum interitus Romanae universalis Monarchiae.

Verum etiam ex oriente irruerunt in Europam populi Septemtrionales. Hoc mirum in modum exponitur in Historia: Duo juvenes Scythae persecuti sunt vitulum cervinum, qui se per bosporum cimmericum po-

ne Ca  
que e  
viso a  
reduc  
huc t  
omnes  
renda

(  
Hunni  
runt f  
quae  
popul  
voluit  
ricum  
est,  
Ex h  
prodi  
imma  
lum l  
praeo  
praer  
bus,  
victo  
egit  
leiam  
ubi e  
ditio  
ictib  
vetus  
Hono

septe  
fecer

ne Cassam saluum praestare tentabat, dumque eundem insequentes mare trajecissent, viso alio mundo in admirationem rapti sunt; reduces retulerunt suis popularibus alium adhuc trans mare extare orbem; quo audito omnes populi commoti properarunt ad exquirendas novi mundi plagas.

Quale spectaculum pro his barbaris! Hunni, Alani, Avars turmatim transiverunt fretum crimmeum, depopulantes omnia, quae iis in itinere occurrerunt. Videbatur unus populus alterius premere vestigia, totaque Asia voluisse in Europam migrare. Thracia, Illyricum, Dalmatia, et Macedonia occupata est, et subjecta.

Ex hac diversa gentium multitudine tandem prodivit sub Imperatore Theodosio Saeculo 5. immanitate ferus vir, nomine Attila, flagellum Dei dictus. Hic, quem Historia velut praecipuum populorum rectorem depingit, praerat omnibus Scythis, dominabatur Regibus, qui ei in bello fideliter adhaerebant; victo septentrione, invasit Germaniam, subegit Galliam, vastavit Italiam, evertit Aquileiam, et victor reversus est in Pannoniam, ubi eo tempore mortem oppetiit, quo expeditionem in Africam destinaverat. Sub his ictibus sensim corrui Roma, instar aedificii vetustate fracti. Temporibus Arcadii, et Honorii nova mundo facies reddita est.

Itaque eodem ferme tempore Gothi a septentrione, et Hunni ab oriente impetum fecerunt in Romanum jam jam defectui pro-

ximum Imperium. Verum invasiones Gothorum longe alium produxerunt effectum, quam illae Hunnorum. Hunni pertranseundo praecipuas provincias eas depopulati sunt, quin ullibi fixerint domicilium, similes suis popularibus, Tartaris, praedae cupidi, suis victoriis nil aliud intenderunt, quam spoliare Europam, omnibus timorem incutere, et potentiam terribilis sui ductoris propagare. Germani autem, seu Gothi ordinatius rem sunt aggressi, In occupatis regionibus collocarunt suas sedes, conjunxerunt se cum subjectis incolis, quos gravi victoriae jugo nunquam ita presserunt, uti Hunni. Magni fecerunt libertatem, cui a natura assueverant, atque devicta aliqua Romana in occidente provincia, suo Duci nonnisi limitatam concesserunt potestatem. Nonnulli horum populorum, uti Vandali penetrantes in Africam, et Gothi in Hispaniam suos plane praefectos dignitate privarunt, quamprimum eorum libertatem cogitabant restringere. Apud Francos etiam Regiae potestati varii limites erant positi, in partem potestatis Regiae venerunt multi inferiores Duces, et Generales, sine quorum consensu nulla poterat suscipi bellica expeditio.

Quanta differentia Gothos inter, et Hunnos! Hi directionem, vastitatem urbibus intulerunt, illi domitores Romani imperii ubique Monarchias, et libertatem stabiliverunt. Germani quidem nullis utebantur feudis, habebant tamen jam subjectos, qui rus cole-

bant  
tempo  
lo, e  
ptor  
incun  
suis h  
deban  
bantur  
nonni

haere  
bus t  
inval  
publi  
inde  
et ali  
semp  
parv  
serun  
cheli  
vasal  
mani  
succ  
lious

sima  
scrip  
inter  
orinc  
tus o

prae

bant. Inferiores eorum Duces obtinuerunt tempore pacis varia Praedia a devicto populo, ejusque subditis exulta. Roriconius scriptor Francorum, fuit pastor. His Ducibus incumbere ad primum datum classicum cum suis hominibus prodire in aciem, tributa pendebant vel nulla vel exigua; libertate fruebantur, suo Duci fideles, ejusmodi feuda non nisi fortis animi viris collata sunt.

Progressu autem temporis facta sunt haereditaria, et in omnibus Europae statibus tanquam institutum germanae libertatis invaluerunt. Deinde etiam majoribus Reipublicae Ministris data sunt idmodi feuda, inde in Germania Marchiones, Landgravii, et alii similes tituli, quales humana vanitas semper scivit excogitare. Tandem, quia per parva itur ad magna, hi feudatarii excusserunt jugum Dominorum directorum, at Richelius domitis in Gallia barbaris, aliisque vasallis conabatur systema feudale in Germania evertere, quod illi etiam ex sententia successit, uti Historia, et tractatus Vestphalicus demonstrat.

Nunc autem systema feudale, velut pessima Regnorum constitutio diffamatum, proscriptum, et cum nupero Germanici Imperii interitu in nihilum redactum est. Sed meliorine propterea res nostrae erunt loco? Eventus docebit.

Interim iterum volunt nonnulli bellum praesagire. Qua de re placet ex amatis ephe-

meridibus sequentem adferre animadversio-  
nem :

Nostrum non est inquirere in rationes, cur aliqui operose conentur evincere apparatus bellicos Borussiae non tendere contra Galliam. Neque ad nos, aut alios rerum novarum scriptores pertinet decidere quaestionem, an Borussia possit cum Gallia bellum gerere, vel minus. Nobis sufficit, nostris lectoribus annunciare, apparatus bellicos in Borussia continuari, fierique majores, quam unquam. Omnes a septentrione allati ad nos rumores id ipsum confirmant. Contra quem ista parentur, determinabit tempus, si tamen res in apertum eruperit bellum. Haec faba probabilissime non cuditur contra Sveciam, si enim Borussia meditatur faedus condere in septentrione, alieno tempore provocaret Sveciam ad arma; corroborant praeterea novissimi nuncii, quae nos de reconciliatione utriusque Aulae narravimus. Quod negotium utrinque acceleratur, subtribunus enim Krusemark ad exaudienda Regis Sveciae consilia, illaque referenda die 15. abiit Gryphisvaldam. Sed nec possunt referri ad ineundum foedus septentrionale; Qui se conjungere volunt, utique bello non dissociabunt. Accedit, copias congregari in viciniis, quae hoc dubium penitus tollunt. Nienburgum ad Visurgim munitur, Sublingae, et Peinae castra locantur, et septentrionales Hanoverae urbes ci-  
ves custodiunt, argumentum, legiones pro-

perare versus Austrum. Quod si praeterea expendamus, pro convehenda annona, aliisque rebus ex Electoratu Hanoverano extractos esse 3120 equos, Propugnaculum Hamelense in meliorem statum esse redactum, rem tormentariam, et praesidiarios auctos, et promptuaria repleta; Porro Promareschallum Rûchel, postquam Berolini et cum Rege, et cum curatoribus hospitiorum militarium saepius consilia contulisset, Hanoveram discessisse ad suscipiendam militum praefecturam, denique grandia tormenta Borussica, quae contra Stralsundam destinata erant, alio esse devecta, manifestum est, cum Svecia redintegrata esse amicitiam, et apparatus Borussiae bellicos dirrigi versus Austrum. De his praeparationibus dici adhuc potest, mandatum esse datum, ut usque 20 omnes legiones justo adsint numero, Generales destinatas sibi occupent stationes; Silesiaca, Borussiae copiae suis in locis congregentur, universa res tormentaria 15 hujus prodeat in campum, subsidiariae legiones compleantur ex indigenis; Dux Brunsvicensis expectabatur Berolini; Munimentum Magdeburgense defendendum declaratum est, utque omnia pro exercitu Vestphalico usque ad 19. parentur, demandatum.

In hoc rerum situ, affulgente praesertim spe reconciliationis inter Borussiam, et Sveciam quis dubitasset de pace Borussiam inter, et Angliam restituenda: Interim certum est Borussicum legatum, Dominum Jakobi-Klöst

die 11. Londino demigrasse, jamque sequenti die ostia Albis attigisse; Illud Londinenses, hoc affirmant Hamburgenses ephemerides. Illae praeterea exiguam dant spem ineundae cum Gallia pacis; Et contrario Parisinae relationes si non sunt clariores, certe minus obscurae. Basilico, qui die 11 responsum negativum detulerat Londinum, die 16. rediit Parisios cum novo mandato, atque altera die Lordus Jarmouth, et Lauderdale accesserunt Ministros Champagny, et Clarke, a quibus etiam prandio excepti sunt, quod Parisiensibus bonum omen visum est.

---

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, praeter complures alios, libri venales prostant:

Okos Gyermekek nevelés példája. A' köz-nép hasznára, mellyben rövideden előadatik, miképpen kell a' Gyermekeket születésük napjától fogva, mind testi, mind erköltsi tulajdonságaikra nézve hasznosann és okosann nevelni, Falusi Mihály által. 8. 1805. 48 kr.

Gazdagsági oktatás arról, hogy miképpen kell és lehet a' Német és Spanyol Lóherét Magyar országban legjobb moddal és legnagyobb haszonnal termesztetni, és mind a' kettőnek a magvát bőséggel szaporítani Posonyban 1805. 8 vo 10 xr.

---